



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia
Dominicarum Totius Anni**

Hartung, Philipp von

Egræ, 1689

Problema I. Utrùm majus beneficium Incarnatio Filij, an Missio Spiritûs Sancti? Dominicâ Pentecostes. Hæc locutus sum vobis apud vos manens, Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



PROBLEMA I.

Utrùm majus beneficium Incarnatio Filii, an
Missio Spiritûs Sancti?

DOMINICA PENTE- COSTES.

*Hæc locutus sum vobis apud vos manens, Paraclitus
autem Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in no-
mine meo, ille vos docebit. Joann. 14.*

v. 25. & 26.

§. I.
Pentecoste
est festum
festorum.
Franc. La-
bata. tit.
Spiritus S.
Propos. I.



Non erravit celeberrimus Ecclesiastes Franciscus Labata, qui dixit Solennitatem hodiernam esse finem & coronam omnium aliarum per anni orbem celebratarum festivitatum; quæcunque enim Salvator noster dixit, egit, tulitque, in hunc destinavit scopum, ut doctrinam suam meritisque ad Spiritus Sancti adventum nos rite disponeret. Nativitas ejus initium fuit Redemptionis, circumcisio initium fusi sanguinis, Epiphania initium suæ revelationis, Resurrectio initium nostræ immortalitatis, Ascensio initium aditæ hæreditatis, Pentecoste verò complementum est nostræ justificationis. Quid proderat nobis Verbum donari, nisi adderetur & lingua, quâ Verbum rite enunciarem? lingvas hodie attulit Spiritus Sanctus. Quid proderat vestimenta salutis nobis præparari, nisi iisdem indueremur? induit nos hodie Spiritus Sanctus *virtute ex alto*. quid

proderat pretiosa in æternam animarum nostrarum salutem pharmaca præscribi, appararique, nisi eorundem usus & operatio sequeretur? sunt fateor Christi vulnera animarum pharmaca, congruam tamen eorundem applicationem Spiritui Sancto debemus, qui datus est hodie, *Et in cordibus nostris diffusus*. Ut proinde dubitari prudenter possit, utrùm majus sit beneficium Spiritus Sancti missio, quàm filii Incarnatio? quam dubitationem ille nobis resolvat, qui docet omnia, missus à Patre in nomine filii, Spiritus Sanctus.

Paradoxa in primis nonnemini videri potest hæc de majori beneficio proposita dubitatio, quid enim? Filius nos redemit, non redemit Spiritus Sanctus, sudavit & alfit in salutem nostram, sustinuit tormenta, suscepit vulnera, cruento funderi pro nobis sublatus est Filius, non Spiritus Sanctus, majori proinde beneficio, per Filium, quàm Spiritum Sanctum affecti sumus. Finge Principem munificentissimum, qui

§. 2.
Aliquot
congruentiæ
cur
majus videri
beneficium
pos-
sit Filii,
quàm Spi-
ritus San-
& Missio.



menso pretio innumera mereatur munera, eaque per coequalem Principem in subditos dispertit, cui quæso plus gratiarum debet populus, an qui suo pectore comparavit populo munera, an qui liberali manu divisit? Finge iterum Regem aliquem, aut Cæsarem, qui unigenitum suum tui consolandi gratiâ ex regalibus sedibus dimittit, sed peditem, egenum, nudum, & per vias latronibus infestas, à quibus non sine vulneribus excipitur, & cruentus totus à te dimittitur; si post Filium missum idem Imperator Consiliarium suum intimum, non minus ac Filium suum Charum sibi ac dulcem ad te ditandum submittat, sed curru vectum, sed omnibus commoditatibus abunde instructum, an non plus tibi benevolentiae adstruit vulneratus pro te Augustus Filius, quam absque ulla exhausta pro te ærumna missus amicus intimus? Finge denique captivum nescio quem ex Turcica servitute grandissimo lytro à Principe aliquo redimi, redemptum verò à Principis germano splendide vestiri; imò & copiose ditari, utrius tibi major videtur munificentia, an illius, qui redemit, an alterius, qui ditavit? non absimiliter de Patre & Spiritu Sancto erit pronuntiandum, majusque in redemptione Filii, quam missione Spiritus Sancti collocandum beneficium. Verum nihil obstantibus iis omnibus, quæ incongruâ fatis similitudine (ob unitatem naturæ in divinis, diversitatem verò naturarum in humanis) hucusque allata sunt, fortiora argumenta suppetunt, quibus amplius missi Sancti Spiritus, quam Filii beneficium evincatur.

§. 3.
Congruentia fortiores in contrarium.

Stat pro hac assertione Veritas incarnata ita definiens Matth. 12, v. 32. *Quicumque dixerit Verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* Si ergò gravius est delictum, quod in Spiritum, quam quod in Filium patrat, grandius quoque beneficium est censendum, quod per Spiritum missum, quam per Filium hominibus confertur, huic enim sapientiæ, illi charitatis donum appropriatur. Assequor jam, quid velit Doctor gentium, qui dona individuae Deitatis dividi hominibus solita exponens, Patri attribuit fidem, quâ homines in quandam omnipotentiae suæ communicationem admittit, Filio appropriat Spem, quâ mortales immortalium bonorum per passionem & crucem comparatorum reddit participes, Spiritui Sancto verò charitatem assignat, quâ homines ad amandum infinitum bonum inflammat; de charitate; porro divinam hanc subjungit clausulam: *major autem horum est charitas.* Attribuitur Patri potentia, Sapientia Filio, Spiritui Sancto charitas; sapientiam suam nobis Pater donavit, cum Sapientiam in carnem misit, charitatem verò misit, cum Spiritum Sanctum donavit; si proinde communi omnium recte sentientium suffragio majori habetur in pretio amoris concessio, quam Sapientiæ exhibitio, concedi pariter debet, majus humano generi donum fuisse in Spiritus Sancti, quam divini Filii missione collatum. Difficilem quæstionem Petro Discipulorum primo Incarnata Sapientia, priusquam crucis cathedram ascenderet, proposuit: *quem dicunt homines esse Filium hominis?* quam cum absque hæsitatione Petrus resolvisset: *Tu es Christus Filius DEI vivi,* præconium vicissim suum audivit: *Caro & Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus,* quin & præmium recepit: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*

meam

1. Cor. 13.
v. 13.

meam Matth. 16. v. 18. At verò diver-
sam longè quæstionem eadem Sapi-
entia increata Petro proposuit, po-
steaquam morte subactâ in vitam
rediit nobiliorem, tum enim non de
scientia, sed de dilectione formatur
quæstio: *Petre amas me?* ad quam
cum ille tertio reponeret: *etiam Do-
mine, tu scis, quia amo te,* non jam spe
supremæ dignitatis lætatur, sed ad
ipsius dignitatis possessionem ca-
pessendam admittitur: *pasce oves
meas* Joan. 21. v. 17. pluris nimirum
DEus homo fecit charitatis, quàm
scientiæ declarationem, unde pro
hac pontificia potestas promittitur,
pro illa verò confertur; ex quo in-
ferre libeat, si divina inter dona at-
tollere liceat pretium, majori nos
munere affectos, cum dilectionem
per Spiritum, quàm dum scientiam
per Filium adepti sumus. Cum Pa-
ter Filium mittit, æternam sapientiam
nobis dat, inquit sapientissimus
Sylveira, in die verò pentecostes su-
um amorem nobis concedit, unde
hujus doni celsitudinem profundè
licet conjecturare.

Sylveira
tom. 5. l. 7.
c. 13. q. 6.
in fine.

§. 4.
Christo ve-
nit ut Ju-
dex, Spiri-
tus Sanctus
neminem
unquam
judicasse
legitur.

Accepimus Filium ut Redem-
ptorem, habituri eundem omnisciû
judicem, & singulorum erratorum
accuratissimum vindicem, at verò
Spiritum Sanctum timere non ha-
bemus ut judicem, qui reis ubique
fese adhibet advocatum, ideo enim
formam nubis in monte Thabor as-
sumpsit, ut errores & ignorantias
Petri contegeret, ideo in specie lin-
gvæ apparuit, ut Verbum bonum
pro nobis loqueretur, ideo ignem
induit, ut peccata nostra exureret, &
ignes ignibus restingeret, ideo tan-
quam ventus venit in mundum, ut
æstuantes mortales refrigeraret,
ideo columbæ specie delectatus est,
ut se sinè felle, sinè amarore meros
amores & delicias spirare testaretur.
Eximia est Maldonati obser-
vatio de Spiritu Sancto, quòd ubi-

Maldonat.
ad c. 16.
Marci.

cunque in divinis literis de judicio
agitur, in quo causæ hominum dis-
cutiuntur, nusquam Spiritus San-
ctus sedere ad judicandum dicitur,
sed id muneris Patri aut Filio appro-
prietur. Unde & Angelus tertius
ad judicandam puniendamque So-
domam submissus, comparuisse qui-
dem apud Abrahamum legitur, cum
adhuc clementiæ spes erat, verum
ut Sodomam ventum est, subduxit
se tertius Angelus, qui personam
Sancti Spiritus obibat (non enim
nisi duo urbem intrasse perhiben-
tur) *ut nobis daretur intelligi* inquit
Franciscus Labata ex hom. 8. D.
Gregorii in Evangel. *benignitas in
nos, quæ tribuitur Spiritui Sancto.*
Res planè admiratione digna, quòd
persona Spiritus Sancti non dicitur
sedere ad judicandum, sicut de Pa-
tris Filiique personis dicitur. *ani-
mad-verte,* ait Maldonatus, *in sacris
literis nusquam Spiritum Sanctum, sed
solum Patrem & Filium dici sedere,
quòd sedere ut dixi gubernare sit, seu
judicare.* Non sedet Sanctus Spiri-
tus, quia *Paracletus* reorum advo-
catus est, postulans pro nobis ge-
mitibus inenarrabilibus. Non ju-
dicat Spiritus Sanctus, quia Amor
est, quia Consolator est, quia dulcis-
sima dulcedo est. In iudicium ve-
nit Filius, ut ipsemet asseverat Joan.
9. v. 39. *in iudicium ego in hunc mun-
dum veni,* eruntque plures, quibus
in ruinam Homo DEus, quàm in re-
surrectionem futurus est, unde &
præfagus Simeon ruinam primo, re-
surrectionem altero loco collocavit
*positus hic est in ruinam & resurrecti-
onem multorum in Israël;* at verò in
vitam & præmium Dator ille mu-
nerum advenit, qui si mundum de
peccato arguit, ideo arguit solùm &
perstringit, nè iudex inveniatur quod
plectatur, & condemnet, nec infundit
in vulnera nostra vinum cum oleo,
sed meracissimum synceræ conso-
latio-

Luc. 2.
v. 23.

lacionis oleum absque mordaci suppliciorum aceto. Vita & mors in manibus lingvæ seu Verbi incarnati sunt, sola Sanitas & vita in alis Sancti Spiritus, *Sanitas in pennis ejus*, idcirco & Salvator de Spiritu, quem missurus erat, edixit: *Veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Quam abundantiam vivacissimè expressam vidit Ezechiel cum integro aridorum ossium exercitui dici audiit: *à quatuor Ventis veni Spiritus, & insuffla super interfectos istos*. Per hunc Spiritum, inquit S. Ambrosius, intelligebat Spiritum Sanctum. Antè ossa arida, ait Joannes Lopez Episcopus Monopolitanus, post exercitus grandis valde, quia ingressus est in ea Spiritus, qui vitam dat mundo.

Malach. 4.
v. 2.
Joan. 10.
v. 10.

Ezech. 37.

S. Ambrosius lib. 3.
de Spirit.
S.
Lop. tom.
4.

S. S.
Triplex
circumstā-
tia adven-
tus Sancti
Spiritus.

Juvat hoc loco meminisse triplicis circumstantiæ, quam suo in adventu vivificans Spiritus observavit, ut beneficii sui magnitudinem manifestius declararet, & imprimis quidem, cur post ascensionem Domini? deinde cur die quinquagesimâ, diei verò horâ tertiâ advenerit, videamus. Si Augustini statur iudicio, ideo post ascensum Domini missus est Spiritus Sanctus, ut vices Salvatoris suppleret, navim videlicet Ecclesiæ, quam *fabri Filius* erexerat, ad portum salutis secundo vento appelleret; templum non manu factum, quod novus Salomon erexerat, solenni ritu encæniaret, deformatam divinæ similitudinis imaginem, quam sangvine & lachrymis pro rubicundis & candidis coloribus utens Christus restaurare cœperat, lineamentis ultimis donaret. Verba Hipponensis Oratoris sunt: adest vicarius successor Redemptoris, ut beneficia quæ Salvator inchoavit peculiari Spiritus Sanctus virtute consummet, & quod ille redemit, iste sanctificet, quod ille acquisivit, iste custodiat. Hæc Au-

S. Augustinus serm.
185. de
temp.

gustinus; sed Augustino altiùs Pontifex maximus D. Leo: *Domini ascensio, dandi Spiritus fuit ratio*. Passionis Dominicæ fructus ex missione Sancti Spiritus, missionis verò hujusce eminentiam ex passionis excellentia deducamus. Commendavit moriens Dei filius in manus Patris Spiritum, ut ex paternis manibus digitum (spiritum inquam Sanctum, qui *Digitus paternæ dexteræ* nuncupatur, nobis impetraret. Exposuit super mensam crucis divinus institor vitales suos Spiritus, ut pretiosum *vite Spiritum* nobis mercaretur. Derelinqui à Patre sese passus est, ut Consolatorem Spiritum, qui nobiscum maneret in æternum obtineret. Quin & cœlos idcirco repetiit, ut ex æterni solis pectore vitalem nobis ignem feliciùs, quàm ex rota solis fabulosus Prometheus animando plasmati suo faculam, accenderet. Si ergo beneficium Redemptionis fuit propter Sanctificationis beneficium, adventus Christi ob impetrandum adventum Sancti Spiritus, facilè concludet philosophus utrùm majus altero beneficium, si illud non fallit principium: *propter quod unumquodque tale, & illud magis tale*. Adde, venisse Christum adultâ hyeme, Spiritum Sanctum adulto vere, cui verè acceptus non est hyeme? Venit de nocte Christus, de die Spiritus Sanctus, an non dies nocte potior? venit in silentio & in incognito Christus, cum *quietum silentium contineret omnia*, cum impetu Vehementi adest Spiritus Sanctus, ut nemini incognita esse possit gratiosa ejusdem præsentia, & præsentissima ad votum unius cujusque gratia.

Adest verò die ab Ascensu Domini quinquagesimâ, quia hic numerus jubilæum significat, unde &

S. Leo
serm. 2. de
pent.

Sap. 18.
v. 14.

Beda ho-
mil. in c. 4.
joan.

de & Hebræi annum quinquagesimum *jubileum* vocabant, ut patet Levit. 25. Sed cur quinquagesimū? respondet Venerabilis Beda, quia numerus quinquagesimus conflatur ex septenario septies repetito, adeoque indicat septiformis munera Spiritūs. Quinquagesimus annus in lege Jubilæus appellari justus est, in quo populus ab omni operatione quiesceret, omnium debita laxarentur, servi liberi redirent, annus ipse majoribus solenniis ac laudibus divinis eminentior cæteris existeret. Unde bene ejusdem Spiritūs gratia septiformis à propheta Isaia describitur, quia nimirum per ejus inspirationem ad requiem & consolationem pervenitur. Certè (ut hoc obiter dicam) tanta vis est Consolatoris Spiritūs, ut infernalis ille epulo meritò crediderit, unâ stillâ totum sopiendum incendium, quid stillâ unâ plusquam Æthnæi restingvantur ignes? una gutta sufficiat immensæ miseriarum abyssio sublevandæ? ita est. *appellamus Spiritum Sanctum dextera DEi digitum, habet digitus hic cœlesti aquâ intinctus vim ad consolandum maximam* inquit Barradius tomo 4. lib. 4. c. 7.

Et cur horâ diei tertiâ? an quòd tertia in Deitate persona est, tertiam quoque diei horam in distributionem suarum elegit gratiarum? an quia primâ diei horâ plerosque non in foro sed in lecto otiosos, & recipiendorum donorum incapaces offenderet, eam potiùs horam elegit, quâ ipsi quoque endymiones lectulorum pertæsi sunt? ingeniosorem adhuc causam ex acuta Augustini observatione licebit eruere, qui Evangelistarum repugnantes inter se de hora Dominicæ crucifixionis sententias (Marcus enim horâ diei tertiâ crucifixum asseverat, cæteri verò horâ sextâ:) gratiosè concili-

ans, verissimum esse ait, quod dixerunt singuli: crucifixus enim Salvator est, & horâ diei tertiâ & sextâ, sextâ quidem à Carnificibus Romanis, tertiâ verò à perfidis Judæis, qui excuerunt lingvas suas, ut gladium, clavos, & lanceam contra innocuum agnum, eumque dilacerarunt dentibus, crucifixerunt labiis, crucifigere lingvis. *Intelligitur ergò fuisse horâ tertiâ, cum clamaverunt Judæi, ut Dominus crucifigeretur, & veracissimè demonstratur tunc eos crucifixisse, quando clamaverunt: crucifige, crucifige.* Verum dum lingvata gens in Filium DEI infixit lingvas suas, lingvas infigendo eadem horâ perdidit, ut apes & crabrones infixum perdere solent aculeum; dum rebellis populus Verbum incarnatum de medio sustulit, verbum bonum posthac loqui nesciit; dum vociferando Præsidem ad iniquum damnationis calculum universa multitudo impulit, vocem pariter omnem & suffragium regni æterni æquissimè amisit. Quid agat Paracletus Spiritus? tota ut gens pereat, elingvis & vocis cum activæ tum passivæ ad regnum æternum incapax ut permaneat, patietur? non patitur, sed horâ eadem, quâ lingvas suas & Verbum populus perdidit, tertiâ scilicet horâ adest, imò in lingvarum specie adest, quas universis inferat, & *magnalia DEi* proloqui, atque *Verbum bonum* doceat pronuntiare. Lingvas ergò & Verbum vocemque per gratiam Spiritūs Sancti accipimus, & quod oris aurei dixit Orator, non tam *vocem*, seu *jus* ad regnum æternum adipiscimur, sed ipsum cœlorum regnum in nobis possidemus, cum Spiritum Sanctum in animam admittimus: *Spiritus Sanctus est regnum cœlorum, quod in nos est*, ait S. Chrysostomus. Restituit proinde Spiritūs Sancti gratia, quod in passione huma-

S. Augustinus lib. 3. c. 23. de Concordia Evang.

S. Chrysostomus tomo 2. homil. de Spiritu S.



humanati DEI universa perdidit natura.

S. 6.
Argumento novo confirmatur ex parte mittentis Patris & Filii majus beneficium in missione Spiritus S.

Ex quo novum assertioni nostræ robur accedit, unde majus in missione Spiritus quàm Filii beneficium collatum demonstrum, gratiosissima videlicet mittentis Patris & Filii voluntas, posteaquam Filii missio ab ingratis homuncionibus non nisi odio & crudelibus maleficiis fuerat pensata. Ingens quis neget Patris æterni fuit dilectio, cum unigenitum suum mitteret in mundum, at experimento nondum se prodiderat hominum inhumanitas; postquam verò experimento constitit, quàm acerbè & nefariè in Filium fuerit sævitum, mittere nihilominus Spiritum Sanctum voluit! hoc certè omnem vim eloquentiæ, omnem captum ingenii excedit. Inter beneficia hebræorum populo collata, primum locum tenet elargitio mannae, hoc enim ipsimet reductioni ex servitute Ægyptiaca, & submersioni hostilis exercitus teste *Lorino in c. 16. Sap.* longè præfertur, crebriusque sublimiusque commendatur. Cur ita? quia populum Ægypto DEus eduxit, cum nullam adhuc ingratitude & pervicaciam expertus esset, manna verò cælo depluit post iteratam ingratae gentis rebellionem, de qua *Exod. 14. & 16.* terminus enim liberalitatis est, iis iteratò benefacere, quorum proterviam semel iterumque sis expertus. Cum itaque Pater misericordiarum Spiritum suum per manna olim adumbratum (*manna enim Spiritum Sanctum significat* ait Rupertus) miserit, posteaquam efferatam hominum crudelitatem in Filium exercitam cognovit, supremum, quis neget? apicem amoris attigit.

Rupertus lib. 5. in c. 15. *Exod.*

S. 7.
Spiritus Sanctus

Quamvis autem Sanctus Spiritus passus non sit pro homine, sicut passum credimus Filium, non

ideo tamen minor fuit ejus in nos beneficentia, tum quia passibile Filio corpus in Virgineo utero efformavit, inque desertum, ut tentaretur à diabolo, Christum à baptismo eduxit, tum quia ab atrocissimis tormentis liberare Filium DEI potuit, nō benignitatem in nos perditos homulos exerere, quàm eximere ab infami morte Christum maluisset. Egit enim verò Spiritus Sanctus Angelum illum, qui Dominum in horto sudantem consolatus est, hic enim sicuti Moysi in rubo apparuit, ut vult D. Augustinus, & Israël in columna nubis per rubrum mare eduxit, ut docet S. Ambrosius, *columna nubis est Spiritus Sanctus*, ita & Redemptorem nostrum in sanguineum passionis mare induxit, eduxitq;, & tempestivum in agone solatium impertit, ita pronuntiant Augustino: *quanquam Spiritum Sanctum alicubi Angelum dictum non recolam, at ex opere potest intelligi.* Solari siquidem proprium est Spiritui Sancto. Potuisse quoque à Spiritu Sancto supplicii & infamiæ crucis Hominem DEum eximi, nec tamen exemptum fuisse sapientissimè adnotavit Salomon *Sap. 1. v. 6. benignus est Spiritus sapientiæ & non liberabit maledictum à labiis suis*, in quæ verba acutissimè Petrus Damianus opusculo 4. commentatur, per Spiritum Sapientiæ indubitatè intelligi tertiam in Trinitate personam, per maledictum verò Jesum Crucifixum, de quo Paulus *Galat. 3. v. 13. Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum*, ut verò maledictum fieret, Spiritus Sanctus intercessit, quia benignus in nos, non liberavit à labiis suis, hoc est, à prophetiis, quas per ora prophetarum (hi enim Spiritus Sancti labia sunt) prædixerat, audiamus Cardinalem: *Spiritus Sanctus non liberabit maledictum à la.*

Christum in horto consolatus est, & cum liberare potuerit supplicio crucis non liberavit.

S. Augustinus de Trinitate, lib. 2. c. 13.
S. Ambrosius l. 1. de sacram. c. 6.

labiis suis, quia quæ per ora Prophetarum de Christi passione locutus est, non prohibuit, sed super eum sine diminutione compleri cuncta permisit. Cur autem ipsum met Sanctum Spiritum assumptâ mortali carne pro nobis mori minimè decuerit, illa mihi præmillibus una per placet ratio, quam author recens assignat, nè si expirasset in cruce Spiritus Sanctus, dici cum veritate potuisset, quod Amor Dei, qui in persona Spiritus Sancti significatur, mortuus sit & finem habuerit. nescit amor divinus habere modum & finem, nec ullam magis horret notam Deitas, quàm quæ Amoris inuritur integritati.

Sed jam finem modumque ditioni statuamus, dicamusque: si majus censeretur debet beneficium missio Spiritus quàm Filii, majores quoque gratias mittenti Patri & Filio persolvere tenemur. Misit Pater Filium, misit Filius & Pater Spiritum Sanctum, sit Mittenti & Misso major honor & gloria, benedictio & gratiarum actio in sæcula. Et quia æqualis tribus est gloria ac coæterna Majestas, sit ter maxima Patri & Filio & Spiritui Sancto gloria per omnia sæculorum sæcula.

Coronemus Problema Emblemate, in quo hinc Nativitatis, illinc

Missionis Spiritus Sancti adumbretur mysterium, in medio Libra è nubibus protensa contineat in lance altera aureum Agnellum, in altera Columbam auream paræ magnitudinis, ponderis, pretii. infra in mensula aurea visatur Adamas cordis figuram referens, in duas æqualiter divisus partes, qualis fuit adamas Elisabethæ Anglorum Reginae, quem divisum Mariæ Stuartæ Reginae Scotorum dono misit; Symbolo utriusque idem lemma inscribimus: *par munus utrumque*. quæ inscriptio fortè gratior accidet, si Misericordiam Divinam regali confidentem throno fingamus, quæ Naturæ Humanæ dextrâ manu offerat par turturum, sinistrâ duos pullos Columbarum cum lemmate: *Par munus utrumque*, par donum Divinæ Misericordiæ fuit, cum nobis dedit Filium duplici Naturâ præditum, & cum dedit Spiritum Sanctum duplicis charitatis dono divitem, ut fieret in nobis, quem Elisæus ab Elia petebat spiritus duplex dilectionis Dei & proximi, quem ut nobis spiritum aspires Divinissimus Paraclitus, per theandrica Salvatoris merita Patrem cœlestem invocemus, suspiremus, speremus.



PRO-